



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Clarissimo eruditissimóque Viro Petro Francisco Chiffletio Presbytero Soc.
lesv Stephanvs Balvzivs Tvtelensis S. P. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14678



Clarissimo eruditissimōque Viro

PETRŌ FRANCISCO

CHIFFLETIO

Presbytero Soc. I E S V

STEPHANVS BALVZIVS

TUTELENSIS

S. P. D.

Post edita superiore anno Lupi Abbatis Ferrariensis opera, cùm intelligerem promissas à me esse in Præfatione novas editiones nonnullorum veteris ævi scriptorum, ac promissi fidem esse præstandam, placuit initium facere ab Agobardo Archiepiscopo Lugdunensi, qui regnante Ludovico Pio floruit, adeoque Lupi fuit æqualis. In hoc ergo sum ut Agobardi opera, cum codice MS. quo Pap. Massonus usus est collata, emendatoria, atque integriora, quantum in me

ē

erit, in publicum exire faciam. Et quia
compertum habeo, penes te extare Tra-
ctatum ejusdem Agobardi contra qua-
tuor libros Amalarij Abbatis, hactenus
ineditum; communitas nostrorum stu-
diorum, tuaque nota humanitas efficit,
ut, tamenetsi ignotus sim tibi, Vir cla-
rissime, nulloque te unquam officio de-
meruerim, non dubitem tamen à te pe-
tere exemplum illius operis Agobardici,
ut cum ceteris clarissimi scriptoris ope-
ribus edi possit. Certè in ea sum senten-
tia, adeoque bene sentio de tua propen-
sione erga viros quibus literaria isthæc
negotia cordi curæque sunt, ut nullus
dubitem quin me libro illo dones; præ-
sertim cùm id tibi in antecessum pollie-
car, non defuturum me officio meo in
hac parte, publicèque professurum edi-
tionem illius operis tibi uni deberi. Et
omnino celeritate utendum est, si quid
mihi à te, Vir eruditissime, expectandum
est. Nam statim post Pascha, Agobar-
dus tradetur typographo, sed ei typo-
grapho qui diligens est, præsertim quo-
ties mea eduntur. Itaque novam istam
Agobardicarum lucubrationum editio-
nem absolutam spero fore proximis Kal-
lendis Iunijs, aut certè non multò pòst.

Addam verò Notas meas, ad exemplum
earum quæ cum Lupi operibus editæ
sunt; prorsusque efficere conabor ut ij
qui hæc studia amant, quique rectum
sapiunt, intelligent non frustra colloca-
tam in hoc fuisse operam meam. Inter-
rim omni studio à te, mi Chiffleti, (quid-
ni enim te meum appellem?) contendō,
ut me in tuorum amicorum numero ha-
bere velis, itaque existimes, neminem
hodie esse qui te magis colat, tibi que sit
amicior, quam ego sum. Amo enim te
venerorque absque fuco & fallacijs, mo-
re majorum; planèque, dum mihi animo
obversaris, obversaris autem særissime,
Sirmondum mihi videre videor, virum
& candidissimum & eruditissimum &
beneficentissimum, &, ut absque invi-
dia loquar, dignum cui tu succederes in
his studiis. Vale, Vir clarissime & erudi-
tissime, & amantem redama. Lutetiae
xvi. Kal. April. M. D C. L X V.



ij